

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras**

**Reding, Augustin**

**Monasterii Einsidlensis, 1669**

Dissertatio XVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

innatam licentiam negare audeat, cur non & ego tantâ autoritate nixus affirmare ausim i lam à Christo Domino peractam Sacrificij Missæ in Sacello Einsidlenâ celebrationem?

DISSERTATIO XVII.

*Qualiter Christus celebrârit Missæ sacrificium in Sacello Einsidlenâ?*

I. **H**eideggerus cit. §. 19 non tam impugnat, quàm solitâ suâ licentiâ exsufflare nititur ea, quæ Redingus in *citatis Discursibus Theologicis Disc. 6.* circa istud punctum discussit. Quare ad Heideggeri exceptiones solidius reprimendas, præallegatum Discursum, ad solidam, si possit, refutationem ipsum provocando, hîc reproduco, qui sic se habet.

II. In hoc Sacello Christum Dominum solemne Altaris Officium, seu Missæ Sacrificium celebrâsse, pluribus refert Sanctus Conradus *loc. sæpè cit.* Cujus Miraculi admiratio rationem aliqujus

cuius ita fortassis tenet suspensam, ut  
 nisi tanti viri autoritas moveret, gra-  
 vis dubitatio ejus pulsaret intellectum.  
 Quomodo enim fieri potuit, ut Chri-  
 stus faceret panis in corpus, & vini in  
 sanguinem suum conversionem, seque  
 ipsum realiter manducaret? Nam con-  
 fsecrationem sub utrâque specie esse de  
 essentiâ Missæ Sacrificij omnes ferè  
 Theologi docent: insuper Eucharistiæ  
 sumptionem esse partem Missæ es-  
 sentialem, Bellarmin. *lib. 1. de Missâ. cap.*  
*ult. Henricq. lib. 9. de Sacrif. Missæ. cap. 9.*  
 & Amicus *tom. 7. disp. 32. sect. 3. n. 2.* te-  
 nent, quamvis verisimilius sit, esse par-  
 tem substantialiter integrantem, non  
 essentialiter constitutivam. Ex Suarez  
*tom. 3. in 3. p. disp. 75. sect. 5. Alano lib. 2.*  
*de Sacrif. c. 15. & 17. Vasq. disp. 222. de*  
*Euch. c. 5. At cum actio conversionis im-*  
*portet productionem termini ad quem,*  
*uti Suarez cit. tom. 3. disp. 50. cum alijs*  
 ostendit, quâ ratione fieri potuit, ut  
 Christus sacrificando reproduceret se ip-  
 sum

sum, ac sumens corpus suum moveret intra se immotum, atque istud intra se immutatum desineret esse?

III. Verùm istæ difficultates non sunt peculiare mysterio intra Einsidense Sacellum peracto, sed ex Sacris Evangelij constat, Christum in Sacramenti Eucharistiæ institutione effecisse panis in corpus, & vini in sanguinem suum conversionem. Imò in quotidiano Missæ Sacrificio Christus est principalis offerens, non eâ solùm ratione, quòd Sacerdos hanc oblationem conficiat in personâ, & nomine ipsius, sed *physicè* concurrat ejus humanitas ad transubstantiationem, seu conversionem panis, ac vini in corpus, & sanguinem suum. Ex Suarez *disp. 77. sect. 2. §. Tertiò considerari potest.* Ex quo inferitur, vel non repugnare aliquid sui ipsius esse causam, quoad iteratam productionem, & actionem conversivam rei alterius in propriam suam substantiam, veluti Suarez *disp. 50. sect. 5.* contendit. Vel potius negan-

negandum esse, actionem conversionis importare productionem termini ad quem. Vasq. *disp. 181. de Euch. cap. 6.* Card. de Lugo *disp. 7. sect. 2.* Ex cuius mente dici debet, transubstantiationis Eucharisticæ terminum esse Corporis & Sanguinis Christi substantiam non quæ productam, sed quæ unitam accidentibus panis, & vini, atque hanc unionem consistere in actione sustentativâ, quam Corpus & sanguis Christi in species Sacramentales exercet in genere causæ efficientis supplendo concursum, quem, si adesset panis materia, tanquam sustentationis subjectum, & forma mediante causalitate efficiente in accidentia sibi propria præstaret. Patet igitur, nihil specialis esse difficultatis, quòd Christus in Sacello Einsidlenfi celebrando Altaris officium confecerit Eucharisticam consecrationem.

IV. Dubitari circa hanc potest, An Christus verba Consecrationis recitativè, vel enuntiativè protulerit? In quo pla-

placet opinio Card. de Lugo *disp. 11. de Eucharist. sect. 5. n. 121.* asserentis, si Christus nunc Missam per se ipsum celebraret, dici posse, quod verba Consecrationis proferret simul recitativè, & formaliter: Posset enim narrare, ac referre, quid olim fecisset, & dixisset in Coenâ; posset simul loqui de speciebus sibi nunc præsentibus, & affirmare suum Corpus sub illis contineri, taliter dicendo: *Ego pridie, quàm paterer, accepi panem, fregi, dedique discipulis meis dicens, de contento sub illis speciebus, quod nunc dico de contento sub his: Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum.* Unde particula *Hoc* in formâ Contentientia consecrationis per Christum intra Sacellum Einsidense prolata duplicem habebat significationem, quatenus enim proferebatur recitativè, significabat Corporis Christi substantiam, contentam sub speciebus ultimæ Coenæ præsentibus, quatenus verò enunciabatur formaliter, significabat eandem substantiam prout substantem accidentibus panis in Sacello Einsidensi existentibus.

V.

V. Quòd porrò Christus in Sacello Einsidlensi celebrans Missæ Sacrificium sumpsit Corpus suum, & Sanguinem à se consecratum, nihil speciale in eo accidit, sed in ultimâ coenâ Christum manducasse Eucharistiam, tradunt Chrysoft. *Hom. 87. in Matth.* & Hieron. ad *Hedibiam. q. 2. refertque Can. Nec moyses. de Conf. dist. 2.* Nec obstat Corporis Christi impassibilitas, quò minus Eucharistiam posset verè manducare, nam comestionem *Luc. ult.* cum discipulis factam fuisse veram, testatur D. Thom. 3. p. q. 55. a. 6. ad 1. non enim potestas, sed egestas edendi corporibus resurgentium auferitur. August. 13. *de Civit. Dei. c. 22. circa finem.* Ex quâ manducatione non est quidem facta nutritio, vel quantitatis Eucharisticæ ad Corpus Christi accretio, & augmentatio, nam istæ actiones contingunt solùm in corpore corruptibili, & obnoxio diminutioni: attamen calor Corporis Christi agendo in species Sacramentales ita dissolvebat qualitat-

tum

tum temperamentum, ut novæ formæ substantialis introductâ dispositione in Eucharisticam quantitatem, sub hac definirer existere Corpus Christi, Deusque tamquam Author naturæ sub illâ produceret materiam primam, ex quâ agens creatum educeret naturaliter formam substantialem. *uti latius exposui in Cont. Scholast. cont. 38. n. 2.* Nec porro Eucharistia manducata à Christo causabat gratiam, sed ista cum tantâ plenitudine, & tanto, licet finito intensiōnis gradu, erat humanitati Christi in Conceptionis primo instanti infusa, ut ultra non cresceret, imò de ordinariâ Dei potentiâ augeri non posset. S. Thom. 3. p. q. 7. a. 10. 11. & 12. Sicut ergo Eucharistia sumpta à Christo in ultimâ Cœnâ, sic in Sacello Einsidlensi nullam in eo causabat gratiam, vel ejus augmentum.

••(o)••

H

DIS.